

personarum aut locorum piorum ad quæ dicta bona de jure pertinent, vel in satisfactionem pretii in emptionem soluti, quatenus emptor repetere velit, et de consilio Ordinarii. ») 4° Certiorandi hæredes et successores de hujusmodi obligationibus per syngrapham, ad hoc ut et ipsi sciant ad quid teneantur. »

Hæ pariter esse solent conditiones, quando Ordinariis conceditur facultas, sive per se, sive per confessarios sibi bene visos, indulgendi emptoribus ut retineant bona sine licentia empta, prævia absolutione a censuris et pœnis ecclesiasticis, cum pœnitentia salutari.

« Quoad vero adimplenda onera bonis adnexa, et subveniendi ex fructibus, etc., potest computari illud quod a gubernio jam solvitur personis et ecclesiis spoliatis. » *S. Penitentiaria, 23 martii 1873¹.*]

DISSERTATIO VII

DE VITIO OPPOSITO JUSTITIE DISTRIBUTIVÆ,
QUOD EST ACCEPTIO PERSONARUM

D. Thomas, q. 63.

ARTICULUS I

Dico 1°: Acceptio personarum est injustitia qua in rebus communibus ex justitia distribuendis non attenditur ad proportionem meritorum vel idoneitatem eorum quibus dantur, sed aliquam causam huic rei impertinentem.

Dixi, « in rebus communibus, » sive bonis, ut sunt officia publica, beneficia, honor, judicium, etc.; sive malis, hoc est onerosis, ut sunt tributa, vectigalia, operarum contributiones, pœnæ, etc.

1. Marc, *Instit. moral. Alphons.*, n. 1027-1030.

Observandum est autem, bona communia esse duplicis generis. Quædam sunt primario et immediate ordinata ad bonum publicum, et eo mediante tantum ac secundo in utilitatem particularium qui ea occupant, ut sunt beneficia, officia publica, dignitates, etc. Alia sunt primario ordinata ad utilitatem particularium, ut sunt ærarium publicum, proventus communes, legatum pauperibus distribuendum, summa pecuniæ a rege tradita distribuenda militibus bene meritis, etc. Igitur utrorumque bonorum mala distributio est acceptio personarum opposita justitiæ distributiæ, in quantum non attenditur proportio meritorum; sed insuper utrobique reperitur violatio justitiæ commutativæ, diversimode tamen. In mala distributione bonorum primi generis violatur justitia commutativa erga rempublicam vel Ecclesiam; quia hæc vel illa habet strictum jus ut de optimis ministris ipsi provideatur, et provisoribus id incumbit ex officio. Unde, per seloquendo, illi restitutio facienda est, non vero particularibus, in quorum utilitatem hæc bona non sunt primario ordinata, qui ideo non habent jus strictum ad illa, sed tantum jus aptitudinis. At vero in mala distributione bonorum secundi generis reperitur violatio justitiæ commutativæ etiam erga particulares; quia ex hoc quod hæc bona sint ipsis primario destinata, habent ad illa jus strictum, hoc est jus ad rem, et illis restituere tenetur malus distribuor.

Dico 2°: Acceptio personarum est ex genere suo peccatum mortale¹; quia omnis injustitia est ex genere suo peccatum mortale. Atqui acceptio personarum est injustitia opposita justitiæ distributiæ, quæ est virtus præstantior commutativa, et ex qua non minora damna sequuntur quam ex commutativa. Ergo.

1. Hic q. 63, a. 1, 0.

ARTICULUS II

De acceptione personarum in distributione spiritualium.

Per spiritualia hic intelligimus potestatem ecclesiasticam sive ordinis sive jurisdictionis, et ejus usum, sed præsertim beneficia et officia ecclesiastica.

Suppono ut certum, collationem spiritualium factam indigno, si reperiantur digni, esse peccatum mortale, quia est acceptio personarum in re gravis momenti¹.

Difficultas est itaque utrum liceat conferre beneficium minus digno, prætermisso digniore. Unde

Dico: Collatio cujuscumque beneficii aut officii ecclesiastici facta minus digno, prætermisso digniore, regulariter loquendo, est illicita, sed valida. Idem dic de præstatione et electione. Est communis post Authorem².

Porro conclusionem sic intellige, non quod collator aut patronus debeat inquirere in toto regno vel provincia, quis sit dignior; id enim foret onus nimis grave, nec raro deceptioni obnoxium: sed quod ex his qui in promptu sunt, aut quorum notitiam habet vel habere potest, adhibita morali diligentia, eligat illum quem digniorem judicaverit.

Prob. prima pars conclusionis 1^o ex jure canonico. Cap. unico: *Ut ecclesiastica beneficia*, Decretal. lib. III, tit. 12, Innoc. III dicit: « Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium et beneficium in persona magis idonea dispensare. » Conc. Trid., sess. xxiv, cap. 1, de promotione episcoporum, declarat promoventes et operam præstantes peccare mortaliter, « nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles judicaverint... præfici diligenter curaverint. » Et cap. 18, de parochorum promotione dicit: « Ex his episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit. »

1. Ibid., a. 2, o. — 2. Ibid., ad 2 et 3.

Prob. 2^o ratione¹. Dum in promotione ad beneficium vel officium ecclesiasticum præfertur minus dignus digniori, est manifeste acceptio personæ injuriosa Ecclesiæ, in ejus utilitatem instituta sunt beneficia et officia ecclesiastica. Ergo.

Verum nota quod dignitas alicujus possit attendi dupliciter². Uno modo, simpliciter et secundum se; et sic majoris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo, per comparisonem ad bonum commune; contingit enim quandoque quod ille qui est minus sanctus aut minus sciens, possit magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam, vel propter aliquid hujusmodi. Debet autem attendi major dignitas, non simpliciter, sed comparative ad bonum commune.

Secunda pars conclusionis patet ex variis locis juris qui requirunt dignum dumtaxat³. Quod intelligunt interpretes cum S. Thoma, ut collatio seu electio sit valida et impugnari non possit in foro judiciali; quia alioquin omnis electio posset habere calumniam, et non esset litium finis.

Ex dictis sequitur, eum peccare mortaliter qui minus dignum, prætermisso digniore, promovet aut promoveri curat, præsentat aut eligit ad beneficium seu officium ecclesiasticum habens annexam curam animarum aut ecclesiasticam gubernationem, aut etiam ad beneficium simplex, sed aliunde gravis momenti, puta quod habeat suffragium in electionibus ad dignitates aut ad officia curam animarum habentia; quia est acceptio personarum in re gravis momenti, cum magno Ecclesiæ detrimento, aut ex qua saltem potest sequi. Vide propositionem 47 damnatam ab Innoc. XI.

[Talis est hæc propositio: « Cum dixit concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter

1. Ibid., ad 3. — 2. Ibid., a. 2, o; *Quodlib.* cit. — 3. Ibid., ad 3.

peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent: concilium vel, primo, videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel, secundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem sequitur, tertio, quando fit concursus. »]

Probabilius autem erit veniale dumtaxat, si agatur de beneficiis simplicibus minoris momenti, ut sunt capellaniae, canonicatus modici, modo tamen non conferantur per concursum; quia, cum talia beneficia ordinentur ad officia humilia et valde limitata, ut ad recitandum officium, ad missam celebrandam, ad Epistolam seu Evangelium cantandum, etc., non videtur grave damnum inferri Ecclesiae, si quandoque dignus praefatur digniori.

Dixi in conclusione, « regulariter loquendo, » quia sunt quidam casus in quibus licet promovere dignos ad beneficia etiam curata, praetermissis dignioribus.

1° Si ex institutione beneficii per Ecclesiam firmata, promovendus debeat esse de gremio Ecclesiae, vel de certa familia. 2° Si ipse fundator beneficii praesentet dignum; hoc enim ipsi privilegium a jure conceditur, cap. *Monasterium*, causa 16, q. 7. 3° Si in electione votum meum non prodesset digniori.

Petes 1° utrum qui ad beneficia seu officia ecclesiastica promovet indignum seu minus dignum, praetermisso digniore, teneatur ad aliquam restitutionem.

Resp. 1° Qui promovet indignum, tam promovens quam promotus tenetur restituere Ecclesiae omnia damna quae inde ipsi obveniunt: promovens, quia peccat contra justitiam commutativam erga Ecclesiam, cui ex officio debet praeficere dignos ministros; promotus, quia cooperatur injustae promoventis actioni, et ab ipso immediate profluunt mala Ecclesiae.

Resp. 2°. Qui promovet minus dignum, praetermisso

digniore, tenetur etiam, per se loquendo, vi talis promotionis, restituere Ecclesiae; quia erga illam violat justitiam commutativam, cum ipsi ex officio, ut dictum est, teneatur praeficere optimos ministros. Sed videtur quod Ecclesia neque exigat hanc restitutionem, neque ad eam obliget, ad obviandum perplexitatibus: et ita apprehendit sensus communis.

[Altera sententia non minus probabilis tenet, promoventem ad nullam restitutionem teneri in casu. Ratio est, quia officia ecclesiastica quibus beneficia sunt annexa fuerunt instituta primario, imo etiam unice, ut Ecclesiae inserviat a bonis ministris. Atqui, ut supponitur, si praetermittantur digniores, qui eliguntur sunt digni seu boni. Unde, si non meliori modo provideatur bono Ecclesiae, hoc saltem fit sufficienter, et essentialiter attingitur finis intentus. Ergo¹. Caeterum haec quaestio mere speculativa evadit ex eo quod supra dictum est, scilicet Ecclesiam in casu praefato restitutionem non exigere.]

Resp. 3°. Promovens indignum seu minus dignum, praetermisso digniore, extra concursum, nihil tenetur restituere digniori praetermisso; quia respectu illius non violat justitiam commutativam, sed tantum distributivam. Non enim dignior habet jus strictum ad beneficium, sed jus aptitudinis et proportionis tantum.

Dixi, « extra concursum; » quia, vi indictionis concursus, quilibet capax habet jus concurrenti, et qui dignior probatus fuerit, habet ex pacto implicito jus strictum ad beneficium. Unde, si minus digno conferatur, fit injuria manifeste digniori; sicut, pluribus in publico certamine pugnantibus, fieret injuria victori, si ipsi denegaretur praemium propositum.

[*Petes* 2° an dignus, manifeste sciens alterum esse di-

1. S. Lig., lib. V, n. 107.

gniozem, peccet acceptando beneficium, et teneatur damnum illi resarcire.

Resp. Prima sententia affirmat, quia ipse, acceptando beneficium, concurrat ad injustam electionem in damnum alterius. Altera sententia, quæ verior videtur, dicit eum nec peccare, nec consequenter ad restitutionem teneri. Ratio cur non peccet datur a D. Thoma, 2^a 2^a, q. 185, a. 3, o, scilicet quod, ex parte eligentis, « ille qui debet aliquem eligere in episcopum... non tenetur assumere meliorem simpliciter... sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ... Ex parte autem ejus qui assumitur, non requiritur quod reputet se aliis meliorem; hoc enim esset superbum et præsumptuosum: sed sufficit quod nihil in se inveniatur per quod illicitum ei reddatur assumere prælationis officium. » Porro quod de episcopatu dicitur, a fortiori de beneficiis inferioribus est dicendum¹.]

Petes 3^o utrum hucusque dicta in præsentî articulo, extendenda sint ad officia sæcularia.

Resp. communius et probabilius affirmative; quia hæc officia sunt pariter primario et principaliter ordinata ad bonum commune reipublicæ. Unde qui illa distribuit indignis, aut minus dignis, peccat contra justitiam commutativam erga rempublicam, et contra distributivam, acceptione personarum, erga digniores.

Dices: Qui habet dominium alicujus rei, et ipsam vendere potest, non est acceptor personarum, si illam tradat aut vendat cui vult. Atqui princeps seu respublica habet dominium officiorum sæcularium, et ipsa vendere potest. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si res illa sit ita propria, ut non sit communi reipublicæ utilitati approprianda, *conc.*; si sit communi reipublicæ utilitati approprianda, ut sunt officia publica, *nego.* — Ad minorem². Equidem, absolute

1. Id., *ibid.*, n. 110, dub. 2. — 2. D. Thom, *Opusc.* XXI, c. 4, 5^o.

loquendo et ex natura rei, officia sæcularia possunt vendi; quia dignitas, pingue stipendium, lucri occasio, et similia his officiis annexa, sunt pretio æstimabilia. Verum vendenda sunt dignioribus et modico pretio, ne pauperes magis idonei ab iis arceantur, et qui emunt immodico pretio, rapinas et concussionem exerceant, ut se servant indemnes. Et quia solent vendi indifferenter plus offerentibus et immodico pretio, non attendendo ad indignitatem vel dignitatem majorem vel minorem, ideo non expedit ea vendi.

Petes 4^o quæ sint qualitates ad beneficia rite obtinenda necessarie.

Resp. Prima est probitas vitæ. Secunda est scientia, quæ talis esse debet, qualem requirit officium beneficio annexum. Tertia est ætas legitima, nempe ad episcopatum, annus trigesimus completus; ad beneficia curam animarum habentia, vigesimus quartus completus; ad canonicatus ecclesiæ cathedralis requiritur illa ætas, ut qui accepit beneficium, possit intra annum suscipere ordinem qui huic beneficio est annexus; ad alios canonicatus et quævis beneficia simplicia, annus decimus quartus inchoatus. Quarta, torus legitimus, sine quo, aut sine dispensatione, collatio est irrita. Quinta, tonsura clericalis. Sexta, cælibatus, ita quod collatio facta conjugato sit nulla. Septima est immunitas ab excommunicatione majori, suspensione, interdicto et irregularitate. Octava est immunitas ab hæresi in se et in parentibus usque ad secundam generationem secundum lineam paternam, et usque ad primam secundum lineam maternam. Nona est determinata intentio suscipiendi officium beneficio annexum, seu, si nullum sit annexum, perseverandi in statu clericali. Unde peccat mortaliter, qui accepit beneficium eo animo ut ejus fructibus potiatur donec, v. g., absolverit studia, vel uxorem convenientem repererit, postea dimissurus, et si sit beneficium parochiale, tenetur restituere fructus perceptos. Ultima conditio est ut habenti unum beneficium non conferatur aliud sine causa. Hinc

Petes 5^o utrum liceat plura simul beneficia possidere.

Resp. esse illicitum jure naturali et positivo¹, nisi in certis casibus infra assignandis.

Jure naturali²; quia unum habere plura simul beneficia, continet in se plures inordinationes. Primo destituitur Ecclesia numero et obsequio ministrorum, cum non sit possibile unum in pluribus ecclesiis deservire, et tamen præbendæ sunt ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Secundo, sequitur diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur; non enim qui habet plures præbendas, pluries vel horas recitat, vel psallit, vel celebrat missam, etc. Tertio, sequitur defraudatio voluntatis fundatorum, qui ad hoc aliqua bona ecclesiæ contulerunt, ut secundum numerum beneficiorum esset numerus beneficiatorum ibidem Deo ministrantium. Quarto, sequitur inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, et alii æque aut forte magis idonei nec unum habere possunt. Adde, pluralitatem beneficiorum esse fomentum ambitionis, avaritiæ, crapulæ, luxuriæ et plurium aliorum vitiorum.

Jure positivo. Cap. *Sanctorum*, dist. 70; cap. *Clericus* et cap. *Clericum*, causa 21, q. 1. Quod jus antiquum confirmat et innovat Trid., sess. xxiv, cap. 17 de Reform., his verbis: « Sancta synodus... præsentis decreto... mandat observari, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. »

Dixi, « nisi in certis casibus. » Primus est quem assignat Trid., si unum beneficium non sufficiat ad honestam beneficiarii et suorum egentium sustentationem.

Secundus. Dignitas, v. g., decanatus aut præpositura, potest possideri cum canonicatu in eadem Ecclesia. Ita declaravit Congregatio concilii Trid., 13 januarii 1594, teste Gallemart, in cap. 17 cit. Et bene; istæ enim digni-

1. *Quodlib.* IX, a, 15, o. — 2. *Ibid.*

tates convenientius, et forte ex intentione fundatorum, conferuntur uni ex gremio.

Tertius est, si ecclesia parochialis sit legitime annexa canonicatui, quia beneficium alteri perpetuo annexum censetur unum cum alio.

Quartus est major Ecclesiæ utilitas aut necessitas¹, ut si quis propter eminentem scientiam vel virtutem possit plus proficere absens, quam alius præsens, vel ratione potentiæ et authoritatis posset efficacius Ecclesiam tueri contra hæreticos aut alios; qua ratione SS. Pontifices sæpe dispensant cum principibus Germaniæ, ut plures episcopatus simul possideant. In hoc ultimo casu requiritur dispensatio Pontificis, qui solus potest dispensare in lege Ecclesiæ universalis. De beneficiis plura, dum de Religione.

ARTICULUS III

De tributis.

Nomine tributi hic intelligimus omne id quod principi vel reipublicæ a privatis solvi solet, sive sit tributum proprie dictum, sive vectigal, sive pedagium, sive tallia et similia onera, in quibus non raro committitur acceptio personarum.

Petes 1^o quæ conditiones requiruntur ut tributa licite imponantur.

Resp. tres communiter requiri. Prima est authoritas legitima. Secunda est justa causa, quæ ordinarie est bonum publicum; potest tamen etiam aliquando esse vindicta in subditos rebelles vel hostes victos, ratione justæ punitionis aut reparationis damnorum. Tertia est debita proportio, sic ut, quantum fieri potest, unusquisque secundum suas facultates gravetur, non magis, nec æque pauperes ac divites, non magis unus mercator

1. *Ibid.*

quam alter ejusdem conditionis. Onera enim communia sic distribuenda sunt, ut secundum ratam a quolibet tolerentur, et qui plus possunt plus graventur; alioquin non servatur justitia distributiva, sed est acceptio personarum.

His itaque tribus conditionibus concurrentibus, principes licite tributa imponunt et exigunt; quia, cum principi ex officio et voluntate populi incumbat administrare rempublicam, curare bonum commune, necessitatibus communibus prospicere, etc., nec ad hæc suppetant necessaria, nisi mediantibus tributis, jure potest princeps illa imponere et exigere quantum ad suum et suorum officialium decentem statum et necessitates publicas necessarium est et sufficiens.

Petes 2º utrum sit licitum defraudare tributa.

Resp. Defraudare justa tributa, sive petantur, sive non, est ex genere suo peccatum mortale contra justitiam, non solum legalem, sed etiam commutativam, proindeque obligans ad restitutionem.

Prob. 1º ex Apostolo, Rom., XIII, 5-7, dicente: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis; ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum; tributum; cui vectigal, vectigal.*

Prob. 2º ratione. Tributa sunt debita principi a populo, non solum ex justitia legali, qua partes tenentur concurrere bono totius, sed etiam ex justitia commutativa. Ergo defraudare, etc. — *Prob. ant.* Hoc ipso quo populus transtulit in principem auctoritatem et reipublicæ administrationem, tacite promisit illi justum functionis stipendium et subsidia rectæ administrationi necessaria, ut jam dictum est. Ergo, posita lege tributi qua hæc totius populi obligatio in singulos distribuitur, assignata cuique sua portione, et determinatis rebus in quibus est solvendum, singuli tenentur ex justitia ad illam suam quotam. — Patet conseq.; quia qua obligatione tenetur totus populus in genere ad sumptus necessarios, ea tenentur singuli in particulari ad suam quotam legitime taxatam.

Dixi in conclusione, « sive petantur, sive non, » attenta scilicet natura debiti; quia aliter esse potest attenta consuetudine. In certis enim locis consuetudo obtinuit ut tributa non solvantur nisi petita. In his ergo locis mercator transiens non tenetur solvere vectigal, si nemo adsit qui petat, modo tamen absit fraus, ut accideret, si merces absconderet, fugeret, diverteret a via publica ne videretur ab exactoribus, aut aliter deciperet.

Nota bene. Cum legibus tributibus non sunt confundendæ leges quæ, absque impositione vectigalis, simpliciter prohibent evehi e provincia, aut in eam invehi certas merces vulgo *contrebandes*. Qui enim has leges transgrediuntur, non tenentur ad restitutionem vectigalis, quia non est, neque ad mulctam ante sententiam judicis, quia est pœna.

Utrum vero tales leges obligent in conscientia, et utrum transgressores teneantur de damno quod inde reipublicæ vel redemptoribus obvenit, dicant alii. Scio quidem plures asserere has leges esse mere pœnales, nec obligare nisi ad mulctam post sententiam judicis, et sic non semel declarasse principes in Gallia et in Belgio. At id mihi non constat. Fateor tamen sic plerumque homines etiam probos apprehendere; vix enim ullum reperias qui sibi faciat scrupulum, si vel pecunias, vel telas indicas, vel tabacum, vel alias hujusmodi res de regno in regnum transferat, aut saltem eas emat et eis utatur, cum tamen non solum inventio, sed et usus prohibeatur. Quantum ad damna, videtur hæc sufficienter compensari per mulctas quas solvere coguntur transgressores deprehensi, quod non raro accidit. Insuper redemptores has defraudationes supponunt, dum contrahunt cum principe, et ideo viliori pretio contrahunt. Cæterum in his omnibus securitatem dare nolim. Id unum affirmo, eos graviter peccare qui hanc negotiationem exercent, quando prohibetur sub pœna mortis; quia non licet se tantæ pœnæ periculo exponere pro lucro temporali. Item quando intendunt se armis offensivis contra custodes defendere.

[Altera sententia negat peccatum a fraudantibus com-